

vero acerbæ & acidæ fuerint, insuavior longè, ac minus ciens urinas. Porro dilutum hoc valentius vinosiusq; efficitur, cum vinacens ad ver, aut astatem fuerit asservatus. Hyemis autem tempore si quis utatur, ut caput minus tentat, ita & per urinas minus expellitur. Hæc de lora Galenus. Ea αὐτῆς Græcè, Latinis Lora, & Italis Acquarello appellatur.

Ὀῖν ἐν τῇς ἀγρίας γαροφύλλῃς.

VINUM ELABRUSCA. CAP. X.

Vinum è sylvestri uva nigrum, adstringit: prodest alvi & stomachi fluxionibus, & cæteris, quibus constrictione & contractione opus est.

Vinum
ex La-
brusca
uvæ.

Non desunt in Hetruria, qui vinum è Labrusca uvæ exprimant, colore admodum nigro, idq; giluo admiscant, ut rubicundius reddatur. Utuntur eorustici in alterius vini penuria, siquidem constat dulce simul, & austro: verum statu temporis dulcedinem facile deperdit, sicq; tunc gustui omnino insuave, adeo ut tantum medicamenti vicem expleat, ubi adstringere sit opus.

Ὀῖν ἐν μελίτῃς.

VINUM MELITITES. CAP. XI.

Melitites datur in longis febribus, quæ stomachum infirmarunt: namq; alvum leviter emollit, urinam ciet, stomachum expurgat: prodest articulario morbo, renum vitiis, imbecillo capiti, & mulieribus abstemiis: odoratum siquidem est, & corpus alit. Distat à mulso, quod sit è vino vetere, austro & melle exiguo. Melitites autem adjecto ad quinq; congios austeri musti, mellis congio, & salis cyatho. Cortinis magnis, quò magis ad effervescendum locus pateat, fieri oportet, sensim asperso sale, cumq; effervere defuerit, in alia vasa transfunditur.

Ὀῖν μῦλοις.

MULSUM. CAP. XII.

Mulsum è vetere vino austroq; & bono melle factum, præfertur: minus enim inflat, ac celeriter id genus in usum venit. Vetus, corpus alit: media ætate, alvo prodest, urinam pellit: à summo cibo sumptum, nocet: & inter initia potum, implet: dein appetendi aviditatem revocat. Fit mulsum duabus vini metretis, admista uva mellis. Aliqui, quò celerius præberi possit, mel cum vino coquunt, & ita transfundunt. Alii utilitatis gratia, ad sextarios sex multi ferventis unum mellis adjiciunt: & ubi ferbuerit, vase recondunt: dulce autem permanet.

Μελλίπαρα.

AQUA MULSA. CAP. XIII.

Aqua mulsa easdem, quas mulsum vires possidet, Cruda utimur cum moliri dejectionem, aut vomitionem incitare volumus: ut iis, qui venena hauserunt, ex oleo. Decocta datur imbecillis, & hominibus elanguescentis pulsus, quos illi dixerunt microphyctos, tu sientibus, peripneumonicis, & iis qui immodico sudore digeruntur. Jam paratum, conditivumq; quod aliqui hydromeli proprie vocant, media ætate adynamo vino, aut loræ in recreandis viribus respondet, & similem vim adipiscitur, quare inflammationibus alicujus membri plusquam lora prodest. In veterati tamen usus damnatur inflammationibus, aut constrixis: sed laboranti stomacho, aut cibum fastidienti, sudatoribusve convenit. Fit duabus pluviae aquæ veteris ad unam mellis partem additis & insolaris. Alii fontanam aquam adjiciunt, & ad tertias partes decoquunt, & ita recondunt. Nec desunt qui hydromeli appellent: quòd à melle elutis aqua favis confici ac fervari soleat: sed meracius confieri convenit: aliqui id coquunt. Ægrotantibus noxium est, quoniam plurimum ceraginis sibi vendicat.

Aquæ
mulse
faciendæ
ratio va-
ria.

Alia sanè Aqua mulsa ratio conficienda est apud Mauritanæ familie aut hores, ab hac qua hic à Dioscoride traditur. Inter Arabas namq; Mesues de ea ita scribit: Aqua mulsa, ex antiquorum sententia, magnis utiq; viribus prædita est. Sitim etenim ardet: frigidis affectibus, præsertim cerebri, & nervorum & articularum, auxiliatur. Loco vini pota humidæ extusientibus prodest: quin & pus, & lentam, crassamq; pituitam è pectore trahit. Intestina, viscera, urinariosq; meatus purgat, terget ac lavat: quapropter subvenit coli doloribus, alvum subducit, & calculum gigni prohibet. Fit è libra laudatissimi mellis, non tamen veteris, colore pallido, odore jucundo, sapore cum dulcedine modicè acri, cum aqua fontana libris octo, in vase lapideo, vel scitili vitreato, lento igni decocta despumataq; & demum linteo percolata. Verum si aqua hæc paulò post bibenda erit, aquatior fiat, & statim à sublata spuma percoletur. Nam qua longa coctione julapij consistentiam acquirit, diutius quidem servari potest, sed ægrum penetrat in remotas corporis partes, facileq; in bilem vertitur, ob suam exuperantem dulcedinem, unde sitim accendit, nisi plurima affusa aqua dissolvatur, adeo ut aqua ferè modo reddatur insipida. Variant autem mulsa facultates pro diversa coctionis ratione, quippe qua brevi coquitur tempore, status in ventriculo parit, alvum magis movet & minus nutrit: qua verò longiori coquitur tempore, status discutit, magis nutrit, minusq; alvum stimulat. Sunt qui mulsa aromata etiam addant, nempe gingiber, crocum, cinnamomum, macis, & id genus alia. Alij galliam moschatam officinis vocatam, & agallochum adjiciunt. Fit præterea ex parte una mellis, & aqua fontana partibus octo, fermenti (alias sæni graci) in his dissoluti uncii tribus, & propriè ad centum mulsa libras. Quæ deniq; omnia, musti modo effervescenda in ligneum cadum conjiciuntur, non tamen ad summum repletum, ne fervescens resiliat. Ubi verò defervuerit obturato vase, asservetur vini modo ad potandum, verum tamen non bibatur, nisi tertio mense transacto. Huic mulse aromata quoq; admisceri possunt linteolo inclusa, & adalligata in cadum demissa: hæc Mesues. Cujus ultimam mulsa paranda rationem, Germani Medonem vocant, qui tamen fermentum addunt, non ex cere alium genere aliquo paratum, sed ex vini musti recremento, & lupi salictarii floribus, quibus etiam utuntur ad zythum conficiendum, quod Cervisiam appellant. Medonis plurimum bibant Poloni ac Litvani, quòd melle plurimo abundent. Quod Græci Nomina. αὐτῆς μελλίπαρα Latinis item Melicratum & Aqua mulsa vocatur: Italis Acqua melata.

† Hoc

† Hoc loco vulgata exemplaria Græca habent ὡς πρὸς τὴν ἀρετὴν, hoc est, utitur cocta. In quibus nimirum verbis vitium aliquod latere suspicor: nam contextus verborum & res ipsa postulabant, ut prius aqua mulsæ crudæ, mox cocta usum traderet Dioscorides, quod hunc fecisse puto, sed librariorū culpa evenisse, ut sit negatio omīssa, vel verbum ὡς alterius loco scriptum. Auger nobis suspicionem Aduarius, qui in libro suo de compositione medicamentorum, ubi ea de Melicrato, id est aqua mulsæ scribit, quæ Dioscoridi accepta referri possunt, inquit primum, Cruda utuntur & c. deinde, cocta verò exhibetur, & c. Hunc secutus fortasse Ruellius vir doctissimus, vulgatam illam lectionem ut depravatam reliquit, & alteram ut veriore accepit. Ad idam insuper, quod ratio ex usu aqua mulsæ sumpta suadet, ut cruda magis quàm cocta alvum deſicere, aut vomitum ciere possit.

10

V. Aug.

AQUA.

CAP. XIV.

DE aquis in universum decernere, propter locorum proprietates, & peculiare naturas, cælum & alia pleraque, difficile est. Magna tamen ex parte optima est dulcis, sincera, nullius omnino qualitatis particeps, & quæ ne minimo quidem tempore in præcordiis commoratur: ad hæc quæ & facili via fertur, & citra molestiam, nec inilationes creat, & minimè computrescit.

PAUCISSIMIS quidem verbis de potabili in universum aqua differuit Dioscorides, ita tamen ut nullam planè notam prætermiserit ex his, quæ in optima aqua requiruntur. Quare si nobis esset hys tantum faciendum satius, qui rerum naturalium periti sunt, non opera pretium existimarem, hoc in loco plura de aquis commemorare. Verum quia hosce commentarios in studioforum, & imperitorum potissimum gratiam condimus, ideo non solum aquarum omnium, quæ in communem tam cibi, quàm potus usum veniunt, tum qualitates, tum facultates hic breviter perstringam, sed etiam earum, quæ sponte nascuntur, & sibi met aliorum, caterorumque, fossilium variis vendicant facultates. In primis itaque illa aqua ad potandum laudatissima censetur, quæ clara, pellucida, tenuis, pura frustillorum, & saporum omnium experte levig, repetitur: necnon quæ igni admodum citò caleſcit, remota verò ocyssimè frigescit gustu jucundo: quæ denique celeriter præcordia pertransit, & sine ulla ventriculi molestia labitur & secedit. Talis autem ea esse solet, cuius fons ad Orientem solum erumpit, curritque super lapides, aut arenam, aut purissimam terram: quæque æstate frigida, hyeme autem calida manat. Omnium tamen præstantissima est pluvialis, eaque præsertim, quæ æstate media pluit, silente cælo. Huc ferè illa respondet, quæ eodem tempore cum tonitruis descendit, tonitruosa propriè appellata. At ea, quæ maxima æræ ac ventorum procella, terrifico tonitruum, fulgurum & grandinis impetu, ex velociter concitatis nubibus cælo demittitur (ut in commentario libri

Aquarū
differen-
tiæ & fa-
cultates.

Quæ
aqua ad
potandū
laudatis-
sima?
Aqua
pluvialis
omnium
præstan-
tissima.

Aqua ci-
sterne.

30^o sexti Epidemiorum scribit Galenus in humana vitæ usum admitti non debet. Porro aqua cisternarum non tot sanè laudibus commendanda videtur, licet à quàm plurimis Medicis laudetur. Siquidem non modò noxia existit, quod miscella quadam sit diversarum aquarum, quæ in diversis anni temporibus inibi colliguntur ex pluvia tum ex grandine, & nivibus hyemali tempore in rellis colligatis, sed etiam quod aqua omnes stationaria putrefactioni facili sint obnoxia. Quo fit, ut aqua in cisternis collecta (si rem rectè expendamus) sincera pluviali minimè sit comparanda. Dicendum igitur erit, aquam sic asservatam eò pluviali sincera deteriore esse, quod magis fuerit nivium, & grandinum liquationibus commista. Quandoquidem (ut in libro de bonitate aquæ scribit Galenus) quæ à nivibus & glacie colliquescit concoctio- nem impedit, urinam cohibet, pectus, pulmonem, ac ventriculum malè habet, convulsiones, laterum dolores, & statim gene- rat. Quod alia de causa non evenit, quàm quod cum in glaciem, vel nivem concrevit, omne, quod tenuè intrat, deperdit. Putrescens præterea gravis quidem est, agreque conficitur, nec statim quidem potest, quod sit putredinis omnis experte: verum tamen tantò minus fuerit damanda, quantò frequentius hauritur, vel si è subterraneo fonte scaturiat. Sequuntur lacus

Aqua ex
nive &
glacie, o-
mnium
pessima.
Aqua pu-
erilis.
Aqua la-
custris &
palustris.
Aqua flu-
viatilis.
Aqua Ti-
beris Ro-
mæ.
Aque la-
pidescen-
tes.

40^o stes & palustres, quæ omnino sunt improbandæ, nisi cocta, vel igne destillata fuerint. Fluvialis deinde probatur vel improbat, pro concurrentium aquarum, & rerum injectarum qualitate, quemadmodum hys omnibus evenit fluminibus, quæ magnas perluunt civitates. Nam quibus animalia putrefacta, excrementa & urbium sordes inesse sentiuntur, ea ab alimentorum usu abdicanda sunt, nisi longo temporis tractu magnis scitilibus asservata ac defecata clarescant, & prorsus expurgentur: ut Romani faciunt cum sui Tiberis aqua, quæ præ cateris hac facultate pollet, ut clara facta, ad centum, & plures annos perduret incorrupta. Ad hæc noxia sunt, quæ plurimam terræ missionem consequuntur, quod non modò viscera obstruunt, sed & calculos in renibus & vesica procreant. Caterum aqua, quæ lapideum admittunt succum, de quo satis diximus in prima huius libri commentatione, prorsus vitanda sunt, ut quæ potantes strangulare possint, eo sanè modo, quo epotum gypsum: quippe hæc arterias obstruentes spirituum transitum intercipiunt: quin & alimentum in corpus deferri prohibent. Quocirca huiusmodi aqua potabiles non sunt, neque in ciborum coquendorum usum recipienda. Quemadmodum nec illa sanis probantur, quæ sal, nitrum, chalcantimum, alumen, & alia id genus concreti succi continent, quanquam omnes in medicina usum veniunt. Nam quod omnes prædictis excalfacientibus medicamentis referta sunt, frigidis & humidis morbis laborantibus utilissimè exhibentur: hys verò noxia sunt, qui à biliosis vel acerbis proveniunt humoribus. Salis, si bibantur, pituitam ejiciunt, sanguinem in ventriculo concretum dissolvunt, aquam intercutem exiccant, & obesa corpora extenuant: sed his consumptis potantes siticulosos reddunt, ventriculum ledunt, intestina abradunt & scabiem, & prurium excitant, in pote quæ non obscure sanguinem acuant, & sua salsedine adurant. Clysteribus infusa pituitam attenuant & detrahunt, & ex ea prognatos dolores mirifice tollunt. Factis ex ea balneis, aqua cutem subeantes resolvuntur, si novus fuerit morbus: frigidis nervorum dolores mulcentur, pectoris fluxiones cohibentur, exca- litque ventriculus frigiditati obnoxius, & humiditate languescens: quin & pituitosa scabies curatur. Tollitur quoque, va- pore ex hys calentibus accepto, tum capitis gravitas, tum aurium cruciatus: totum verò frigidum tumores & totius corporis su- gillata delentur. Nitrosa, si bibantur, corpus perturbant, pituitam dejiciunt, feminas prolificas reddunt, & strumas absumunt. A salis hæc facultatibus non disident, præterquam quod in omnibus illis valentiores sunt, non adeo tamen adstringunt, sed valenter abstergunt: quare & scabiosos mundant, & aurium ulceribus medentur, incertosque earum sonos atque tumores discunt. Aluminosa admodum adstringunt: proinde mirum non est, si ventriculum roborent, qui crebris vomitionibus imbecillus efficiatur. Ulteri fluxiones cohibent, abortum prohibent, & in his præsertim feminis, quæ ante partum maturitatem plerumque abortiri consueverunt: vesica ulceribus medentur: & oris gingivarumque inflammationibus, si ex eis frequens collutio fiat. Gargarizatu non modò destillationes ad fauces inibent, sed etiam confluxos resolvunt humores. Idem præstat balneum ex hys paratum: confert enim magno juvamento exterioribus totius corporis exulceratis partibus, inque præsertim, quæ defluxionibus tentantur. Cruentis item expuitionibus subvenit, animum procidentem reprimat,

Aque
salis.

Aque ni-
troæ.

Aque
aluminosa.

reprimat, & sudorem superfluum cohibet. Nocet tamen tam in potu, quam balneo, ijs qui viscerum infarctu laborantes in febres facile incidere possunt. Porro aqua, quibus chalcanthum, aut misy, aut sory, aut melantheria immiscetur, cum omnia eadem facultate consent, aluminosis sanè perfimiles sunt: verum tamen haec valentius suum obeunt munus, nempe quod præter adstrictoriam facultatem, succum etiam admodum acrem obtineant, quamobrem serpentibus ulceribus, ac phagedanis opitulantur. Sulphureosa excalfaciunt, ac efficaciter nervos emolliunt: proinde resolutis, convulsis, tremulis, stupidis contractisq; peridonea inveniuntur. Eadem compaginum tumores discutunt, & dolores mitigant: nam ubi quispiam coxendicum dolore, aut podagra, vel chiragra vexetur, sulphurea aqua balneo magnopere juvatur. Præstant præterea ad jecinoris, lienis ac uteri dolores, atq; tumores in ijs genitos mirificè resolvunt: ventriculum tamen laxant & infirmant. Bituminosa, et si potius internis quibusdam morbis conveniant, & balneis adhibita aliquo temporis tractu nervos emolliant ac excalfaciant, aut tamen caput replent, sensu hebetudine afficiunt, præsertimq; oculos. Quæ autem Armenii, aut cœrulei lapidis, aut æruginis, aut chrysocollæ aliquid admixtum habent, si bibantur, vomitiones concitant: abluitionibus verò phagedanica ulcera sistunt. Quæ præterea auripigmentum, aut sandaracham continent, pectus dilatant, asthmaticis & suspensiosis prosunt, & omnibus frigidis in universum morbis opem ferunt, quibus respirandi facultas impeditur. Aereæ oris & genitalium membrorum ulcera sanant: quin & faucium, & oculorum desillationibus auxiliantur. Quæ deniq; ferreæ sunt, ventriculi, lienisq; vitiis, seminis profluvio, & menstrui albi utiliter adhibentur. Et ut rem hanc summatim complectamur, aqua omnis, cui quodvis fossile medicamentum admisceatur, eandem facultatem præbet, quam quod illi admisceatur. Quia nimirum ratione ducor, ut supervacuum putem, reliqua sigillatim prosequi, ut taceam id nimis Nomina. longum futurum. Aqua Latinis dicta, Græcè ὕδωρ θαλάσσιον, appellatur: Italicè Aqua.

ὕδωρ θαλάσσιον.

AQUA MARINA.

CAP. XV.

20

Aqua maris calida est & acris: stomacho adversatur, alvum enim conturbat: pituitam expellit. Si verò calida ad fotus adhibeatur, elicit & discutit, nervorum vitiis, & pernionibus, ante ulcera prodest. Miscetur cataplasmatibus ex hordeacea farina, & emplastris, & discutientibus malagmatis. Ad movendas dejectiones tepesfacta infunditur, & ad tormina, calida: pforas, pruritus, impetigines, lendes & mammas rigentes, foveri utile est: livores fotu discutit: ad venenatos ictus, qui tremorem & refrigerationem adferunt, salutaris intelligitur: maximè scorpionum, phalangiorum aspidumq; etiam, si quis in calidam descēdat, auxiliatur: & malo habitu confectis jamdiu corporibus nervisq; balneæ ex ea utiles: hydropicos, capitis dolores, aurium gravitates, ferventis vapor levat. Syncera & sine potabilis aquæ mixtione reposita virus deponit. Sunt qui etiam præcoquant, & ita recondant. Datur ad purganda corpora per fese aut ex posca aut cum vino aut melle: verum post dejectionem dant gallinæ, aut piscium juscula, ad domandam morsus acrimoniam.

Θαλασσίμελα.

THALASSOMELI.

CAP. XVI.

Quod Thalassomeli vocatur, vehementer purgare constat. Temperatur autem æquis portionibus maris, mellis, & imbris ex alto, defæcatis, & picato vase per Canis æstus insolatis. Alii ad binas marinæ coctæ singulas mellis adjiciunt, & vase condunt: hujusmodi moderatius est aqua marina, & mitius.

οἶνον.

ACETUM.

CAP. XVII.

40

Acetum refrigerat & adstringit. Stomacho utile, appetentiam excitat: erumpentem undecunque sanguinem, potu infelluve sistit: prodest alvi fluxionibus coctum cum cibis: cruentis vulneribus inditur: inflammationes arcet, in succidis lanis, aut spongia impositum: reprimat procidentia sedis, vulvæq; item abscedentes gingivas, & sanguine manantes. Ad nomas, & ignem sacrum, ulcera quæ serpunt, lepras, impetigines, pterygia, cum aliquo convenienti efficax est: phagedænas ulcerum, nomasq; fotu continuo cohibet: podagricis calido fotu, cum sulphure auxiliatur: sugillationes rapit, cum melle illitum. Contra capitis ardores cum rosaceo in succidis velleribus, aut spongia imponitur. Ad aquam inter cutem, gravitatem aurium, & sonitus sibilosq; ferventis vapor proficit, instillatum quoque aurium vermes necat. Panos coërcet tepidi fotus, aut si imbuta aceto spongia admoveatur: pruritus permulcet. Contra venenatos serpentium ictus, qui refrigerando nocent, calidum commodè fovetur: & frigidum ijs, quæ exurens virus ejaculantur. Calidum potum, atque vomitionibus redditum, adversus omnia venena efficax est, præsertim contra meconium, & haustam cicutam, conglobatum in ventre sanguinem, lac coagulatum, fungos, ixiæ taxumque, cum sale: haustu voratas hirudines, si sorbeatur, ejicit: tussim veterem mitigat, & recentem lacescit. In orthopnœa calidum commodè sorbetur: gutturis fluxiones gargarizatum inhibet: anginis, & uvæ procidenti convenit: contra dentium dolorem, calidum colluitur.

Aceti mixtae facultatis consideratio.

Quamvis Dioscorides simpliciter pronuntiaverit Acetum esse frigidum, quod fortasse in eo magis frigiditas exuperet, quam caliditas: tamen Galenus qualitatem medicamentorum omnium indagator maximus, ex contrariis qualitatibus calidis scilicet & frigidis, acetum constare docuit lib. 1. de simplicium medicamentorum facultatibus, nec esse homœomeres similareve, quem admodum nec lac universum. Id quod ipse Galenus lib. 8. de eorundem facultatibus, apertissime confirmavit his verbis: Acetum primo horum commentariorum mista esse substantia, nempe frigida pariter & calida, ejusq; utriusq; tenuium partium demonstratum est: ceterum calidam frigida exuperat. Porro magnam desiccandi facultatem obtinet, adeo ut sit tertii ordinis desiccantium jam completi, utiq; cum validum extiterit. Et libro primo de compositione pharmacorum secundum locos, idem sic inquit: Atqui Acetum ex incidentium ordine existens, ultra hoc quod discentit, præcipuum quiddam in se habet, quod reprimat, ac quod influit & repellit: utpote quod substantia sua parum calidum est, plurimum verò frigidum, & partium tenuium. Idem quoq; libro 4. simplicium medicamentorum,

torum ita scribit: At frigiditas, quæ ab aceto proficiscitur, tantò est validior, quantò & tenuior. Inest verò illi & acrimonia quædam excoalsciens, quæ tamen satis non fit ad superandam ab aciditate proveniente frigiditatem: verum quæ transitu modo celeritatem promoveat: nam quantò calidum frigidum facilius penetrat, tantò acris succus aptior est, qui sensibilibus corporum meatibus transeat, quàm acidus. Itaq; ille, velut præcedens viam sternit, hic verò haud ita tardè insequitur: quo tempore sensus percipitur mistus, & qui agere exponi queat, utpote qui nec planè frigidum esse acetum denunciet, quippe cum in eo ignea quædam percipiatur acrimonia, nec planè calidum. Nam perpetuò, quæ ex præcedente sit acrimonia, calefactionem frigus ab insequente aciditate occupans, obscurat protinusq; exinguit: quo fit, ut major multò ex frigore percipiatur sensus, quàm ex calore. Hæc ad litteram Galenus. Ex quibus abundè liquet, quòd acetum, etsi ex contrariis qualitatibus constat, minus tamen frigiditatis, quàm caliditatis particeps est. Quod cum re-
 10 cte animadvertisset Dioscorides, acetum simpliciter (ut supra diximus) refrigerare pronunciat. Verumtamen illud ignorandum non est, quòd acetum nimirum eò calidius erit, quòd vetustius & acrius extiterit. Siquidem ex Galeni sen-
 tentia libr. 11. simplic. medic. capite de adipe, item tertio de compositione pharmacorum secundum locos, vinum, mel, acetum, oleum, adeps, vetustate calidiora sunt. Ex quo faciliè fieri potest, ut reperiat acetum adeo vetustate acerrimum, ut plus habeat caliditatis quàm frigiditatis. Acetum quod Latini vocant, Græcis ὄξος dicitur: Arabibus Chal: Italis Aceto: Germanis Essig: Hispanis Vinagre: Gallis Vin aigre.

ὄξος μύσλι.

ACETUM MULSUM.

CAP. XVIII.

A Cetum mulsum, quod Oxymel vocant, hoc modo temperatur. Aceti heminas quinq; salis marini
 20 pondo, mellis minas decem, aquæ sextarios quinq; pariter coquito, decies effervescente cortina: at-
 que ubi refrixerit, diffundo. Sumptum crassos humores extrahere, & ischiadicis, comitialibus, & arti-
 culorum morbo confectatis prodesse creditur. Contra morsum ejus viperæ, quam sepa vocant, hau-
 situm meconium, ixiameve auxilio est. Anginis utiliter gargarizatur.

T Riplicem Oxymelitis componendi rationem posteritatis memoria tradidit Galenus lib. 4. de sanitate tuenda: qui ta-
 30 men sal nulli commiscuit, ut ejus verba loco dicto aperte testantur, quæ ita sequuntur. Uni aceti parti, mellis, à quo
 detracta spuma sit, duplum est miscendum: deinde ambo in leni igni coquenda, donec eorum qualitates in unum coierint: Oxyme-
litis con-
fectio tri-
plex Gal.
 ita enim nec acetum amplius crudum apparebit. Cum aqua verò statim ita facies oxymeli. Melli quadruplum optima
 aqua miscetur: deinde coques modico igni, quoad spumare desinat. Ac malum quidem mel multam egerit spumam, quo et-
 iam diutius coqui debet. Optimum verò, ut brevissimo tempore coquitur, ita minimum spumæ evomit, unde nec pari ei
 30 coctione est opus. Plurimum certe quartam partem, ejus quod ab initio est inditum, amittit: post verò dimidio aceti adje-
 ctæ, rursus coquendum, donec qualitatibus omnino sit unitas, nec acetum crudum etiam appareat. Conficitur sanè oxyme-
 li etiam tribus statim ab initio mistis, ad hunc modum. Aceti uni parti additur mellis duplum, & aqua quadruplum: atq;
 hæc ad tertiam partem coquantur, vel etiam quartam, spuma interim detracta. Quod si valentius id facere studes, tan-
 tum dem injicies aceti, quantum mellis: hæcenus Galenus. Quem secutus Mesues, ipse quoq; de oxymelite sic scripsit: Oxy-
 melis sit ex aqua, aceto & melle. Aqua verò miscetur, ut longa coctione resolvatur id, quod in oxymelite status excitat, ut
 etiam promptius despumetur, ut deniq; medicamenti hujus facultas, aqua mixture tenuior facta, facilius in corpus disti-
 buatur. Mel verò ad litur, ad oppugnandam pituitam. Ex melle deniq; & aceto mistis, facultas quædam tertia, qua neu-
 40 tri eorum incit, tanta consurgit, ut efficacissima sit, atq; certissima ad attenuandum, incidendum, resolvendumq; crassa,
 lentaq; excrementa, quæ in ventriculo & jecore existunt longo tempore genita: quin & ea, quæ ad articulorum compa-
 gines defluerunt, & diuturnas procreant febres: ea namq; & incidit & coquit. Fit ex aceti parte una, mellis partibus
 duabus, aqua partibus quatuor. Primum autem mel & aqua simul coquantur, ubi despumata probe sunt, addito aceto
 percoquantur, semper quoque despumando. Datur ab uncia una, ad uncias tres: hæc ille. Nomen ejus Græcum ὄξος μύσλι: Nomina.
 Latinum Acetum mulsum: Italicum Aceto melato.

ὄξος μύσλι.

ACIDA MURIA.

CAP. XIX.

A Cida muria, quam Græci Oxalmen vocant, contra nomas fori, putrida ulcera, canum morsus, & ve-
 50 nenatos ictus auxiliatur. Sanguinis fluxiones post excisos calculos sistit, si statim calida in vulnus
 injiciatur: & prociduum sedem reprimat: dysentericis, si nomas sentiant, infunditur: oportet autem ex
 lacte instillare. Hirudines sorbitione, aut gargarizatu necat: furfures & manantia capitis ulcera exterget.

A cidemuria, quæ Græcis Oxalma appellatur, usus etate nostra prorsus exolevit. Parabatur autem veteribus illis ex Nomina.
 sale & aceto: vel ex muria & aceto. Quæ Latinis Acida muria, Græcis ὄξος μύσλι vocatur.

ὄξος μύσλι.

THYMOXALME.

CAP. XX.

T Hymoxalme veteres utebantur, dabantque laborantibus imbecillitate stomachi, ternos quater-
 nosve cyathos, aqua calida dilutos: item in articularibus morbis, & inflationibus. Crassos humo-
 60 res, atrosq; trahit. Hoc modo facit. Thymi triti acetabulum, salis idem modus, rutæ, pulegii, polen-
 tæ, singulorum exiguæ portiones in vas conjiciuntur, aquæ terni sextarii, & aceti terni cyathi infun-
 duntur, & circumposito linteo sub dio madescunt.

Συμμοχάλμη.

SCILLINUM ACETUM.

CAP. XXI.

S cillinum acetum hoc modo fit. Scilla, quæ candida fuerit, expurgata conciditur, trajecta q; lino se-
 gmentis modicis intervallis, ne se contingant, siccatur in umbra quadraginta diebus: mina eorum in
 aceti boni sextarios duodecim immergitur, vase diligenter operto septenis diebus in sole madescit: post
 H h h eum